

QUAESTIO VI.

Quomodo ergo, in ipsomet fidei actu, assentiamur ejusdem actus motivo, seu, auctoritati Dei revelantis?

(Suarez, *De fide* : Disp. III, sect. 12. — Lugo, *De fide* : Disp. I. — Mazella, *De virt. inf.* n. 773... 821.)

111. Resp. Ut supra dictum est, assensus datus veritatibus revelatis propter Dei revelantis auctoritatem, non resolvitur in ulterius motivum; id est: dum mens nostra actu credit, sistit in Veracitate et locutione divina, tanquam in unica et ultima ratione movendi intellectum.

At quomodo id fiat? Res difficillima et intricatissima, ad cujus explanationem tres praecipuae sententiae excogitatae fuerunt, quas nunc breviter exponemus.

112. *Prima sententia* est Suarezii, quam etiam tenent Valentia, Torres, Coninck, Lorca, Antoine, Viva, Th. Wirceb, et multi alii.

Juxta praefatos auctores, virtus fidei, sicut aliae virtutes infusae, habet motivum fide cognitum. Unde in ipsomet fidei assensu, ejus motivum, seu, auctoritas Dei revelantis, fide cognoscitur.

Ad quod intelligendum, advertere sufficiat Deum, aliquam veritatem revelando, nobis etiam revelare in *actu*, ut aiunt, *exercito*, et suam Veracitatem, et suam locutionem. Nam eo ipso quod exigit assensum dari rei revelatae, declarare censetur, se ita loqui et dignum esse cui omnino credamus. Hinc, in actu fidei, auctoritas revelans attingitur et *per seipsam* et

obscure. Attingitur *per seipsam*, siquidem credendo, v. gr., Incarnationem ob auctoritatem Dei revelantis, credo auctoritatem Dei revelantis ob hanc ipsam auctoritatem. Attingitur *obscure*, quatenus non assentior illi ob rationes naturales quibus demonstrari possit, et ita non est evidenter nota, sed creditur per eandem fidem qua credo Incarnationis mysterium.

113. Huic sententiae objicitur: Si assensus datus veritati revelatae, ut sit fides supernaturalis, exigit motivum fide cognitum; ergo et fides qua huic motivo assentimur, non erit supernaturalis, nisi habeat et ipsa aliud motivum fide notum; et sic in infinitum progrediemur. Fatendum est igitur, in actu quo credimus Incarnationem, v. gr., adhaesionem datam auctoritati Dei illud mysterium revelantis, esse supernaturalem, quin eliciatur ex motivo fide cognito. Sed si hoc semel concedatur, cur adhaesio data ipsimet Incarnationi non poterit esse supernaturalis, etiamsi ejus motivum non esset fide notum?

Quando autem asseritur motivum virtutis supernaturalis esse veritatem fide cognitam, id non est de ipsamet fide intelligendum; cujus fidei supernaturalitas aliunde repetenda est, ut explicabitur infra.

114. *Secunda sententia* est Cardinalis de Lugo, quam propugnant Pallavicinus, Haunoldus, et, inter recentiores, Card. Franzelin.

Ad cujus intelligentiam, praemittenda est distinctio inter assensum mediatum et immediatum. Prior ille est, quo propositioni non constanti ex sola termino-

rum apprehensione adhaeremus propter aliud. Posterior ille est, quo propositioni ex ipsa terminorum apprehensione apparenti assentimur non propter aliud, sed propter seipsam.

Jam vero assensus datus veritati revelatae est certe mediatas, quia datur propter aliud, scilicet, propter auctoritatem Dei revelantis. Assensus vero datus auctoritati Dei revelantis, seu, Veracitati et locutioni divinae, est immediatus, scilicet : non datur propter aliud. Nam, tum Veracitas divina, tum divina locutio, si bene intelligantur, ex sola terminorum apprehensione constant.

115. 1^o Dei Veracitas constat, non propter aliud, sed immediate, ex sola apprehensione terminorum, modo sub conditione affirmetur, sic : *Si Deus loquitur, loquitur vera*. Sane nullo alio medio indigemus ut pateat veritas hujus conditionalis ; sed statim ac intelligitur quid significet vox Deus, nempe Ens summe perfectum, et ideo summe Verax, illico concluditur : Ergo si Deus existit et loquitur, verum dicit.

116. 2^o Constat etiam Dei locutio immediate. Ad quod explicandum, notat Lugo locutionem divinam coalescere, tum ex verbis enuntiantibus veritatem, tum ex factis, puta : miraculis aliisque portentis, quibus verba exhibentur ut locutio divina. Facta ergo illa, seu, motiva credibilitatis, simul cum verbis ipsis, constituunt integre locutionem divinam, et hanc faciunt assensu immediato attingibilem. Quando enim aliquis audit doctrinam sacram, eamque videt notis divinis tantopere illustratam, non indiget alio medio, sed certo et clare apprehendit se jam non posse dubitare hanc esse a Deo summe Veraci revelatam.

117. Addit tamen Lugo eadem motiva credibilitatis dupliciter in fidei assensum influere : immediate quidem, quatenus sunt partialiter ratio formalis assentiendi veritatibus revelatis ; mediate vero, quatenus inclinant ad iudicium credibilitatis, quo movetur voluntas ad imperandum fidei actum.

118. Denique, ut salvetur ratio supernaturalitatis majorisque firmitatis in assensu dato auctoritati divinae, animadvertit hunc a principio gratiae procedere, necnon a voluntatis imperio. Exinde fit hunc assensum et nobiliorem et firmiorem evadere.

119. Adversus sententiam Lugonis, duplex potissimum urgetur difficultas.

1^a *difficultas*. Non apparet quomodo assensus datus locutioni divinae in sensu auctoris, possit esse immediatus. Locutio enim divina, prout coalescit ex verbis veritatem revelatam exprimentibus, et ex factis hanc locutionem uti divinam exhibentibus, non potest movere ad assensum, nisi credens *absolute* iudicet, et existere Deum summe Veracem, et revera locutum fuisse. Oportet igitur ut, ex factis illis quibus integratur locutio divina, deprehendat, et existere Deum summe Veracem, et miracula fuisse realiter patrata, et patrata virtute Dei, et patrata in confirmationem talis doctrinae. Sed haec omnia non sunt nota ex sola apprehensione terminorum, pro iis praesertim hominibus qui propriis oculis signa non vident, et ea non accipiunt nisi ex hominum testimonio.

120. 2^a *difficultas*. Omnes docent assensum fidei divinae non modo esse firmissimum, sed et firmiorem

omni alio assensu, etiam assensu immediato dato ex sola terminorum apprehensione, ut infra demonstrabitur. Atqui in sententia Lugonis talis non esset assensus fidei. Etenim, juxta hunc doctorem, credens non potest praescindere ab evidentia quae motivo fidei competit ex sola terminorum apprehensione; siquidem credit praecise propter Veracitatem et locutionem divinam, prout evidenter ex sola terminorum apprehensione percipiuntur. Ergo assensus fidei firmitas hujusce motivi evidentiae commensuratur. Ergo non est ille actus firmior omni alio assensu. Non possumus enim prudenter imperare assensum ullum firmiorem quam mereatur motivum formale intrinsecum quo nititur assensus, et cum quo proportionem habet. Assensus firmior suo fundamento est certe imprudens, et ideo a voluntate, etiam cum gratiae auxilio, procedere non potest.

121. Frustra allegaretur damnatio sequentis propositionis (xix) ab Innocentio XI: « Voluntas non potest « efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, « quam mereatur pondus rationum ad assensum « impellentium. » Rationes enim simpliciter impulsivae, de quibus hic agitur, sunt rationes extrinsecae, seu, signa credibilitatis, non vero motivum formale intrinsecum actum fidei determinans; cui motivo proportionari debet firmitas fidei actualis, ut patet. Sed in sententia Lugonis, facta illa quae divinam locutionem integrant, non sunt, in actu fidei, rationes simpliciter impulsivae, bene vero pertinent intrinsece ad formale motivum assensus fidei divinae.

122. *Tertia sententia*, quam cardinalis Mazella fusiori calamo evolvit et propugnat, sic se habet :

Dum actu credimus, Veracitas et locutio divina non sunt nobis objectum fide creditum, ut ait Suarez; nec veritates ex sola terminorum apprehensione notae, ut contendit Lugo; sed assentimur Veracitati et locutioni divinae in se nude spectatis, praescindendo a motivis quibus naturaliter demonstrantur; atque ita eas attingimus non tanquam *objectum quod*, bene vero tanquam *objectum propter* quod credimus, Primo quidem rationibus certis a nobis cognoscitur Deum esse Veracem, et revera locutum esse; mox sequitur iudicium quo pronuntiamus talem veritatem esse credibilem et credendam. Hae cognitiones praecedunt actum fidei, et imo comitantur; sed eum non causant tanquam ratio motiva. Determinatur autem actus fidei per voluntatis imperium; in quo imperio, mens praescindit a rationibus demonstrantibus Deum esse Veracem et fuisse locutum; et veritati revelatae adhaeret ex solo motivo Dei revelantis; sicque fit actum fidei suam omnem mutuari firmitatem ex merito motivi secundum se spectati, minime vero ex valore rationum quibus nititur hujus motivi cognitio.

123. Hinc intelligitur quomodo motivum fidei divinae intrinsecum formale, sit ultimatim *prima Veritas testificans non visa, seu non apparens*, eo quod consideratur haec Veritas in seipsa, praescindendo a rationibus quibus nititur, et quae illam faciunt plus minusve visam, seu apparentem.

Juxta Mazella, ille modus explicandi non repugnat, et aliunde feliciter vitat aliorum incommoda, et

insuper doctrinae angelici Doctoris videtur conformior.
(Mazella, *De virt. inf.* n. 823.)

124. Hanc sententiam late persequitur et evolvit
P. Pius de Mandato, societatis Jesu, in suo opusculo :
De actu fidei.

Animadvertit nullam evidentiam naturalem divini
testimonii, causare posse in intellectu assensum talem,
qualis esse debet assensus fidei divinae, nempe firmis-
simum super omnia; quia haec evidentia naturalis
fundatur in pondere naturalis demonstrationis.

Unde assensus fidei divinae fundari debet in testi-
monio divino, *ut in se est*, cui intellectus credentis
adhaeret secundum intrinsecam divini testimonii
perfectionem. Ad quod necesse est ut mens apprehendat
divinam Veracitatem, non secundum pondus
rationum naturali lumine perspectarum, sed secundum
intrinsecum pondus suae auctoritatis.

At talis apprehensio non est per naturae vires, sed
est propria Dei, et intellectui creato communicatur,
vel per lumen gloriae, qua fit potens videre immediate
divinam essentiam ipsam, vel per lumen fidei, per
quod, quamvis non fiat potens videre divinam essen-
tiam immediate, fit tamen potens adhaerere primae
Veritati ut in se est.

Ergo pro quolibet intellectu creato, etiam eviden-
ter cognoscente divinam Veracitatem et revelatio-
nem, remanet semper obscura divina Veracitas sub
ea ratione sub qua sola potest esse objectum formale
fidei, nempe secundum intrinsecam suam veritatem;
et ut huic sub ea ratione adhaereat, moveri debet a
voluntate, et roborari a lumine infuso.

Cui explicationi consonant verba D. Thomae (*De ve-
rit.* q. 14, a. 8) : « Oportet quod fides, quae virtus
« ponitur, faciat intellectum hominis adhaerere veri-
« tati, quae in divina cognitione consistit, *transcen-
« dendo* proprii intellectus veritatem. »

QUAESTIO VII.

Utrum connexio inter auctoritatem Dei revelantis
et objectum revelatum, ingrediatur motivum fidei divinae
formale et intrinsecum?

(Mazella, *De virt. inf.* n. 622...835.)

125. *Resp.* Actus fidei triplicem praesupponit dis-
cursum: unum, quo mens infert Veracitatem divinam
ex rationibus naturaliter evidentibus; secundum, quo
infert factum revelationis ex notis credibilitatis; ter-
tium quo, ex connexione inter auctoritatem Dei reve-
lantis et objectum revelatum, infert tale objectum dig-
num esse quod firmissime credatur.

Jam statuimus duos primos discursus non ingredi
motivum formale intrinsecum fidei divinae. De ter-
tio discursu nunc agitur. Affirmat Lugo (*De fide*,
disp. VII) hunc esse formale fidei motivum parziale;
Suarez cum multis id negat (*De fide: disp.* 111, n. 1.)
asserens hujusmodi illationem esse tantum conditionem
praerequisitam. Cum quo

126. *Dico: Connexio necessaria inter auctori-
tatem Dei revelantis et veritatem revelatam, seu, in-
ter fidei objectum formale et materiale, non est
credendi motivum, nequidem parziale.*